



2/10/11
~~GA 17~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-61.

SIGNAT. c1515CCCXIII.

13

I. N. 3.

TRIUMPHUS

CHRISTI & Christianorum

PASCHALIS

Oratione Brevi

Anno 1673. Mense Aprili
delineatus

à

JOHANNE Hackstoc / Rustens. Hung.
Phil. & SS. Theol. Cultore.

WRATISLAVIÆ,

In Hæredum BAUMANNIANORUM Typographia
exprimebat JOH. CHRISTOPH. JACOBI.

Handwritten notes: 2698, III, and other illegible scribbles.

J. H. R. H.



Dilectæ Patriæ
DNO. JUDICI Consultissimo;
DNIS. SENATORIBUS Honora-
tissimis;

Admodum Reverendo atq; Doctissimo

DNO. PASTORI;
DNO. NOTARIO Spectatissimo;

Ut &

DNO. RECTORI Clarissimo atq;
Honoratissimo;

VIRIS

Nobilissimis atq; Amplissimis

Dnis Suis atque Evergetis Maximis
ob beneficia in se collata

*Hunc Christi & Christianorum Triumphum
Paschalem*

Ante suum ad Sapientiæ Emporium discessum

*Cum voto omnigenæ felicitatis & pacis
florentissimæ obsequiosè
offert*

J. H. R. H.



LEo, A. O. O. H. Leo rugiit, quis non timeret? Leo rugiit, quis timeret? Leo vicit, quis triumpharet? Leo vicit quis non triumpharet? Leo rugiit & vicit, quis inquam hostium non timeret? quis hostium triumpharet? Leo rugiit & vicit, quis nostrum timeret? quis nostrum non triumpharet, tripudiaret? Anti Christorum est timor & tremor, Christianorum est Jubilus & triumphus. Christus, Christus enim est Leo, qui rugiit: est iste Leo, qui vicit: Leo de tribu Judæ: Gigas geminæ substantiæ: Triumphator ter geminæ victoriæ. Quare lætamini cœli: cœli gratiæ & gloriæ: & qui habitatis in iis,

Cœli cives occurrite

Portas vestras attollite

Triumphatori dicite

Ave Jesu Rex inclyte

— — — *maxime*

Ave Jesu invictissime.

Mulierculæ quidem mysteria divina non usque aded bene edoctæ, sepulchrum, ut exanime Domini corpus salutarent & ungerent, summô diluculô ingressæ, Angelosque triumpho salvifici præcones, inopinatò conspicientes, oppidò exhorruerunt, & expaverunt, frustra contra nitentibus Angelis & dicentibus: *nolite expavescere.* Verùm enim verò ô dilectæ mulierculæ! cur tantopere horruistis? cur extimulistis? Dominus surrexerat: sed Dominus vester. Leo rugierat: sed Leo vester. Jesus vice-rat: sed Jesus vester. Non ut expavesceretur: sed ut secum triumpharetis & tripudiaretis. Sandrocottus Indus, cum ipsi

Publica quem requies curarum, somnus, habebat,

A 2

Leo

Leo sudorem lambendo absterfisset, in omenid interpretatus est felicissimum: nec frustra, ut apud Justinum, variarum rerum, gentium, & temporum compendium, legere est. Annon & vos, quibus timorem delinxit, non Leo; sed Leonis vestri triumphantis, præco, Angelus: Annon, inquam, & vos in certissimum id victoriæ præsentissimæ omen meritò interpretari debuissetis? frustra itaque exhorruistis; male expavistis. Siquidem vobis Leo rugierat, vobis Leo vicerat, & vos cum ipso. Paveant itaque potius impii illi loquaculi, qui dixerunt: nolumus hunc super nos regnare. Obmutescant stentores illi, qui clamârunt: *Crucifige! Crucifige!* expallefcant Pilatus, qui sanctissimum omnium condemnavit: Herodes, qui fannis immeritum elusit: Judas, qui impiè prodidit: Miles, qui crucifixit: Spectator, qui contumeliosè insultavit: Longinquus vel quicumque fuerit, qui latus crudeliter transfodit. In primis verò expavescant & contremiscant, Larvatus Serpens, Satanæ Satelles, Mundus: Satanæque semen, Peccatum. Nam Leo rugiit: nam Leo vicit: pessimosque pessimè contrivit & conculcavit.

Nos contra, triumphum, triumphum lætò clamore & tripudiò sonabimus, geminabimus, triplicabimus. Nos enim sumus catuli; ipse est Leo; qui non contra nos; sed pro nobis rugiit. Nos sumus membra; ipse est caput. Eò itaque vincente, & nos vincimus; Eò triumphante & nos triumphamus. Ipse victoriam obtinuit, nobis verò imputat; obtinuit per gloriosam potentiam, imputat verò per salvificam gratiam. Meritò igitur, imò meritissimò, Christicolæ omnes, tempore omni, loco omni, Triumphum cantant. Meritò igitur, imò meritissimò si & ego hâc vice meo, meorum commilitum, imò & vestrum A. O. omnium nomine Triumphum cantavero, & recantavero. Quod verò dum facio, ô utinam labia mea fierent, tympana, ut summo cum stupore Triumphum boarem & reboarem, ô utinam! inquam, fierent Organa ut harmonicâ concentûs suavitate vestras aures demulcerem atque mille modis Triumphum variarem. Verùm enim verò quamvis voti mei
damna-

damnarer; neque si tamen rei amplitudinem, nèque meum desiderium exæquare possem. Proinde sicut magnitudo stellarum, ut tradunt optidorum filii, per vapores exhalantes visa, intumescit, ita æquè, quod submissè peto, evaporarent animi vestri benivolentiam solitam: quæ, si iudicii vestri nervos visivos repleat, nullus dubito, quin tum meæ oratiunculæ formam speciosiore, quam piæ audaciæ veniam uberiore impertura sit. Tibi verò quoque Triumphatori optimo, pie Jesu, raucedo mea, vel potius pietas, non, quæso, displiceat. Nam

Cùm dignè loqui nequeam.

De te tamen non sileam.

Amor facit ut audeam.

Cùm solum de te gaudeam.

Io triumphhe! triumphhe! ita in Macedonicæ victoriæ indicium, embryonem, materni uteri carceribus inclusum, haud frustra olim clamasse, testantur historiarum monumenta. Quid ergò nos Christiani moramur? quinam oscitans ingenii genius nostras impedit lingvas? Eja igitur rumpite mecum lingvarum vincula: aperite labia, clamate, sonate: Io triumphhe! triumphhe! nonne impendet quoque ultimum senescentis seculi momentum? quo Ecclesia Heroïna invictissima & sponsa Christi triumphantis amantissima, hostes suos superabit omnes? solvatur igitur lingua nostra in victoriæ hujus præfagium, sonetque voce lætificâ: Io triumphhe! triumphhe! nonne & nos omnes, sub vexillo Christi milites, de turma in turmam quotidie ruimus & hostes nunc hos, nunc illos vincimus? solvatur igitur iterum lingua nostra in victoriæ hujus præconium, canatque voce lætificâ; Io triumphhe! triumphhe! Etenim talis quoque vox fuit illa, barbarum multarum in cælo dicentium: Halleluja, Halleluja, Halleluja, laus & gloria & virtus Deo nostro. Hostes verò Audit. piissimi, quos vicimus vincimusque etiamnum sunt sanè callidissimi, vigilantissimi & truculentissimi, ut operæ profectò clamorisque sit pretium eructare, clamareque: Io triumphhe!

trumphe! Dicturus autem de triumpho Christianorum, rogo
ut vobis haud gravatè imaginemini, vos hostium spiritualium
aciem instructam, & ad conflegendum paratam, in præsentis in-
terstitii planitie videre. Oppidò enim juvat & delectat acies
concurrentes & manus conferentes vel per perspicilla & micro-
scopia aut telescopia intueri: quapropter vos etiam triplicem
vobis legionem ante aciem mentis ponite ritu dispositam Ro-
manorum, qui hostes aggressuri copias suas in tres dispescere
solebant ordines. Agmen primum tenet ducitque *Peccatum*,
cum morte spirituali sive gratiæ. Alterum *Mundus*, cum morte
corporali sive naturæ. Tertium *Satanas*, cum morte æterna seu
animæ. O agmina solo visu & auditu tremenda! ô hostes Bu-
siride & Phalaride crudeliores: supercilia horrent, manus stu-
pent, cor palpitat, membra tremunt omnia. Ast fuere quidam,
qui conscendentes in arbores aut scalas dimicantes eminè
conspexere exercitus; ita, ut non interessent periculo, adessent
tamen eventui. Ita vos mecum conscendite devotis cordis co-
gitationibus, arborem illam vitæ & scalam Jacobæam, Christum
Jesum, & sic penitiùs, sic tutiùs, agmina singula, turmas singu-
las lustrare, oculisque vestris arbitrari non sine voluptate po-
teritis. Ut itaque à carceribus ad calcem pergat oratio, meis-
que stem promissis, en sisto nunc vobis satanæ semen, *Peccatum*
stipatum morte spirituali sive gratiæ. Quod si verò accura-
tiori mentis oculo omni remoto peristromate naturam ipsius
propius intueri velimus, deprehendemus sanè, esse hostem cal-
lidissimum, quia in nos, matris adhuc carcere clausos, subrepat,
arcem motuum omnium naturalium, appetitum, occupat, arma-
mentarium suum exstruit, nosque inde quod omnium maximum
est, ad ultimum usque vitæ halitum impugnat. Exemplum in
medium proferendum desideratis? en vobis ipsius Judæorum
Herculis Davidis hunc in modum conquerentis: ecce in pecca-
tis conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Hostem
verò istum non modò callidissimum; sed & impigerrimum esse
certò persuasum habeatis, quia nos undique & ubique sollicitat,
variis-

variisque modis ad perpetranda flagitia calcar addit. Vix enim
unò divitiarum abundantia

— — — — *ad umbras*

Pallentes, umbras Erebi noctemq̄ profundam

præcipitatò, jam alterum deliciis, gulæque irritamentis, ab
illo lucidæ inaccessæque æternitatis habitatore Deo avertere,
secumque

— — *ad loca nocte perenni*

Obsita & æterna cæcam formidinis aulam

rapere conatur. Pietati, morumque honestati operam navan-
tibus adversatur, atque eosdem blandissimis vitiorum illecebris
ad execrandæ libidinis opus instigare molitur. Concordiæ
foedus quos videt pangere ac sedulò colere, illis insidias fruit
discordiâ. Enim verò etiam hostis hic truculentas truculen-
tiæ suæ faces spargit; quia non tam corporis compagem, animæ
nostræ domicilium; quam ipsam divinæ particulâ auræ, animam
fauciat, imò universum terrarum orbem in servitium trahit,
quod vel dictorum farragine vel exemplorum nube probatum,
dare ex castis Scripturæ deliciis possem, ubi opus foret. Sed eheu!
hostis iste etiam copias suas habet auxiliares, mortem spiritua-
lem, quocum arma jungit ira Dei, quæ corda conturbat, robur
virium nostrarum debilitat, viscera pavida reddit, neque arma
prius abjicit, quam vel vicerit nos, vel saltem vulneraverit. Un-
de homines probatæ sanctitatis in fufissimas proruperunt que-
relas. Aliorum ut silentii peplo involvam, siccoque, quod
ajunt, pede præteream, solùm viri & Prophetæ illius secundum
cor & voluntatem Dei, Davidis, supra jam commemorati que-
rula adducam verba: Domine, inquit, ne in furore tuo arguas
me, neque in tua ira corripias me. Videmus sanè, Tiresiâ nî
cæciores simus, hic primùm pugnas, dum nobis omni tempo-
re, imò

— — — *dum robora tellus*

Et cælum stellas & vehit amnis aquas

variis

variis cum flagitiis dimicandum est, quorum prostrato uno, surgit alterum. Exstinctâ namque vix libidinis flammâ, surgit ira, irâ devictâ, venit invidia. Et cujus etiam diligentia, cujus ingenii vis & sagacitas in depingendis dolis, quibus nos quotidie infestat, sufficeret. Occurrunt proh dolor! etiam lapsus infidelium, pessimè resistunt huic hosti, ut salvificæ cognitionis luce destitui gentiles, vel etiam alii fidei orthodoxæ adversarii suis ementitis pugnantibus, quibus hostis hujus fortissimi non modo reprimere vim insidiasque; sed &

— — *ad magni tecta Tonantis*

Regalemque domum — —

Adæ culpâ perditam, pervenire contendunt. Visâ ponderataque clade infidelium, lumina oculorum vestrorum etiam ad lustrandas fidelium victorias, quas in Christo & per Christum reportant, accommodate. Hic enim peccati destruxit corpus, ut magnus ille gentium Doctor, fulmenque eloquentiæ Christianæ, Paulus gloriatur: illud, inquit, scientes, quod vetus ille homo noster cum illo (Christo) crucifixus est, ut aboleretur *Corpus peccati*, ut posthac non serviremus peccato. Non jam itaque (quod oppidò delectat) vim habet jusque ullum in viva Filii Dei membra, nempe Dei electos ad vitam æternam; imperturbati igitur metu hujus hostis possumus quiescere. Si enim magnus ille orbis terrarum terror & domitor Alexander Magnus sub ipsum proelii cum Dario, glorioso Persarum Rege, tempus, somno se dedit: quanto magis nos apprehenso per fidem Christo Triumphatore quieto tranquilloque animo esse possumus. Revocatò jam sub considerationis incudem peccatò, copiisque ejus auxiliaribus perlustratis; Vos, qui vitæ arborem, Salvatorem ad spectandas hostium turmas mente conscendistis, etiamnum in illa subsistite, interquiescite, alterumque hostem, jam progressurum intuemini. Enim verò nec hic hostis calliditate sua defraudandus; insidias namque & fallacias quamplurimas, easque periculosissimas struit. Quem quæso, non voluptatum blandimentis, divitiarum copiis, honorumque

leno,

lenociniis decipere satagit? Et si ad rectæ rationis examinetur
trutinam, quid aliud sunt seculi hujus voluptates, quam irri-
tamenta malorum, quæ homines impœnitentiæ labe coinqui-
natos in æternos percipites agunt cruciatus. Ut enim vipera
extrinsecus pulcherrimis colorum elegantiorum pigmentis or-
nata, intrinsecus verò veneno referta est: ita & mundus exter-
nam tantum considerantibus speciem, speciosus: internam verò
omnium flagitiorum colluvies videbitur, & qui nobis sub spe-
cie boni, pessima quæque venditat. Quid? callidissimum tan-
tum se exhibet? imò & vigilantissimum, semper namque cruo-
rem sitit, semper irâ spumat, nocendi desiderio flagrat: & Re-
gum, quamvis palatia vallis & muris munita sint fortissimis:
tamen illa nec ab hoc hoste tuta sunt. Et quod omnium tristis-
simum, eximia illa sapientiæ oracula, qui subsellia curiarum
implent, è medio tollere studet. Pauperum itidem tuguria
immunia ab hoc, nefando hoste esse non queunt. In ea enim
subrepat, omnemque in movendis litibus movet lapidem. Non
modò verò vigilantissimum sed & truculentissimum se ostendit,
quod piorum testantur martyria. Aliorum exemplis ut propter
temporis penuriam supersedeam: En! ipsius Stephani primice-
rii Martyris, inter ipsos saxorum nimbos in tanto lapidantium
tumultu & fremitu in Domino obdormientis, exitium! Tyran-
norum domitoris & contemptoris illius Laurentii, qui super
prunas extensus & ustulatus est, supplicium: Bartholomæi, qui
vividus pelle nudatus fuit, martyrium. Nonne in his satis super-
que suam exseruit sævitiam? sed quid? solusne hostis hic?
nullone stipatus est satellitio? est utique. Suppetias enim suas
habet à morte corporis, quæ omnium ubique claustrorum seras
vectesque convellit. Non modò enim vitiorum sordè conta-
minati ejus præsentiam timore percelluntur; sed & homines sum-
mæ pietatis, quibus tamen fructui cedit uberrimo, ipsam adven-
tante, trepidant & contremiscunt. Ut inter alia ex Hiskia
mortis à Deo dilationem submissè petente liquidò videre est.
Itaque & hic amplissimus pugnandi campus aperitur dum mun-
B dus

duſ inſeſtat & impugnat calumniarum ſpiculis, quibus abſentum
famam rodere ſatagit, conviciorum plauſtris, injuriis, pauper-
tate, quâ pios premit, fame, quâ ipſos miſerrimè tractat. Sed,
quod ſanguineò lacrumarum deplorandum imbre, lapſus etiam
hic infidelium ſpectandus venit, qui mundi hujus blanditiis uſq;
adeò delibuti ſunt, ut vitam ab iis abducere, videatur graviſſi-
mum. Verùm ut milites Regis Perſarum Cambyſis, in Ammo-
nios miſſi, ad Syrtes pervenientes, ibidemque prandium ſumere
volentes, omnes miſerrimè perierunt: ita & nos ſi ſeculi hujus
voluptatibus nos dederimus, ſclerum ſordibus reſperſi, æternæ,
quod abſit, ſalutis naufragium faceremus. Oculis autem & hic
eſt cernere fidelium victoriam, qui cum Chriſto & in Chriſto
Mundi agmina vicerunt, mortisque aculeos ſuperârunt fide
modò apprehenſi fuerint Chriſtum. Quemadmodum enim mu-
ri Jerichuntis tubæ clangore fracti ceciderunt: ita & mundus
fidei clangore ſuperandus eſt & deſtruendus. Promiſi A. A. O.
me tres hoſtes cardinales, Mundum, Peccatum & Satanam ſtatū-
rum eſſe, quorum duos cum ſuppetiis progredi, eoſque aſpectu
quamvis tremendos nec non fortiſſimos, Chriſti triumphatoris
ſubſidio ſuperatos vidisti. Tertium itaque adhuc, ejuſdem
cum cæteris farinæ, reſtantem luſtrandum ſiſto. Ut enim duo
illi verſutiſſimi, truculentiffimi que fuerunt; ita & hic, me
Chriſte, talis eſt. Eſt namque hoſtis callidiſſimus, qui omnem
explorat occaſionem, & ubi nos in portu navigare animadvertit,
ſuas ad imponendum nobis deducit fraudes & machinas, deci-
piens hunc divitiarum farragine, illum libidinum fomentis,
aliū ſuperbiæ. Dignum meo iudicio, memoratu rerum præ-
ritarum ſecretarii de Virgine Atalanta valde perneci, poſteri-
tati reliquere hiftoriam. Cum ea enim Virgine certaturus Ju-
venis quidam poma aurea ſpargens, ipſam ea colligentem præ-
veniebat. Sic comparatum etiam nobiſcum, ubi primus ille
omnium fraudum techenarumque architectus Diabolus poma
aurea, hoc, eſt ſvaviſſimas delicias divitiarum & id genus alia
ſpargens in ſtadio virtutis decurrendo ſufflamen injicere ſata-
git.

git. Quod si hostis hic callidissimum, ut jam vidistis, se tantum exhiberet, nonne sufficeret? sed & quod omnino tremendum, supra commemoratorum hostium more se etiam vigilantissimum ostendit. Semper enim & ubique nos dolis suis aggreditur, dies noctesque circumvagatur, omnes regionum angulos peragrat, & laqueos, sacra testante pagina, nos ad decipiendos, disponit, à dextris per prospera, qualia sunt: divitiarum, honorum & id genus aliorum, pollicitationes, largitiones: à sinistris per adversa, quæ nil aliud sunt, quam poenarum atrocissimarum comminationes, bonorum, honorum, & vitæ sæpissimè privationes. Vah! hostis hujus calliditatem, vah! vigilantiam! Quis, quæso, ad aspectum imò tantummodò auditum non tremeret? quis non trepidaret? sic non minus se atrocissimum & crudelissimum præbet. In divinis oraculis variis insignitur nominibus, quæ de truculentia & atrocitate ejus in trucidandis hominibus affatim testantur. Lucæ si Evangelium accuratius lustrandum aggredimur, nuncupatur à Christo, qui præter rubicantem humanitatis sardonichum multicolore fulget divinitatis Jaspide, fortis armatus. Apud Samuelem Prophetam excellentissimum præfiguratur gigantæâ immanitate Goliathi: in Apocalypsi dicitur Draco magnus. Excellens Evangelistarum & Apostolorum Aquila & Phoenix Johannes nominat eum lupum oves deglutire volentem. Apud eundem, cœlestium arcanorum conscius, Johannem depingitur nobis ut mendax & homicida. Leonem ipsum vocat Apostolici Collegii Coriphæus, Petrus. A Jobo præcipuo inter inquilinos orientis & in palæstra crucis exercitatissimo nomen ipsi imponitur Leviathanis. Annon isthæc omnia ad sanum rectæ rationis judicium diligenter vocata, sufficientia crudelitatis suæ nobis dant documenta? Habet tamen & hic hostis suas suppetias Acherusia regna, infernum, de cujus ferocia ipsa conqueritur Sol Ebrææ gentis David: dolores, exclamans, inferni circumdederunt me. Et Esaiam vatem illum illuminatissimum, si evolverimus, ejus truculentiam, verbis auditu sanè tremendis, graphicò quasi pe-

nicillô depictam videbimus: propterea, inquit, dilatavit infernus animam suam & aperuit os suum, absque ullo termino: & descendent fortes & populus & sublimes gloriosique ad eum. Et Nepos Iddonis, Zacharias vocat eum locum in quo non est aqua. Occurrunt itaque & hic pugnae. Nam ubique hostis hujus visuntur tela & pericula, ut nemo hac in terrena militia militantium ullibi sit tutus, si vel alter sit Pater credentium. Abrahamus, terrarum seculorumque decus Jacobus, aut ipsum exemplar castitatis Josephus, quorum fidem, pietatemque & justitiam, omnium virtutum splendidissimam Hespero, Luciferoque admirabiliorem, elegantissimis sacrae pandectae exornant encomiis. Impedit inferorum antesignanus Diabolus, pectoris augustale pravis concupiscentiis, linguam, mendaciis & ne quidem dormientibus parcit. Sed non modò pugnae; verùm etiam lapsus hic infidelium occurrunt, qui se patiuntur ab hoc hoste, teste unicâ illâ caelestis verbi pharo, in varia impelli vitia; sic dives illud Christi promptuarium Paulus; in quibus Deus seculi hujus excæcavit mentes fidelium, ut non fulgeat illuminatio Evangelii gloria Christi, qui est imago Dei. Et in epistola ad Ephesios vocantur desperantes, semetipsos tradentes impudicitiae in operationem immunditiae omnis in avaritiam. Verùm enim verò & victorias fidelium hic cernere licet. Eorum namque Dux hosti huic conculcavit caput, quod promisit in amplissimae amoenitatis apricitatisque loco, Paradiso; nunc verò appropriat nobis in Baptismo, per quem in campum Ecclesiae militantis immittimur, abituri hinc olim Triumphatores. Agite igitur nunc amotâ tristitiae nebulâ Hilaria mecum, exporrigite frontem, gaudio indulge, jubilate, triumphate, cantate. Duce namque hoc nostro & Triumphatore optimo quis sapientior? Prole hac aeterni Patris quis diligentior? Gigante hoc geminae substantiae quis fortior? Dic nobis, Peccatum, Satanæ semen: dic Munde immunde, qui Satanæ es Satelles: dic larvae & antique Serpens: vos enim nunc appello; vos enim infinitam ejus experti estis Sapientiam, quâ vestram vobis calliditatem

ditatem destruxit. Vos summam ipsius experti estis diligentiam, quam vigilantiam labefactavit. Vos fortitudinem maximo tamen cum vestro detrimento sensistis, quâ Tyrannidem, immanemque truculentiam vestram retundens, tartareas phalanges, rabidos Eumenidum cohortes, stygios cyclopes Brontemque Steropemque & nudum membra Pyracmonem triumphavit. Sunt quorum facta maximè illustria multis apud eos, qui vitas resque clarissimas hominum memoriæ mandant, laudum phaleris decorantur, qualem fuisse memoriæ produnt Waltherum, supremum quondam ordinis Teutonici Magistrum, qui Moscoviæ Duci homini crudelitatis nævo devenustato, cum centum Moscovitarum & triginta Tartarorum millibus, in Livoniam irruenti, obviam processit, secum tantum habens septem Germanorum & quinque Livonum millia, quibus uno conflictu centum ex adverso dimicantium prostravit Myriades, uno tantum suorum amisso. Sed quid hoc? si cum nostri conferatur Ducis victoria? Ipse enim modò laudatus Waltherus cum amplissimis copiis fortitudinis gloria hostium adortus est turmas; Christus cœli terrarumque præpotens Imperator autem solus hostes suos, eosque longè formidabiliore profligavit. Pullus ille Martialis ac Bellonæ filius Matthias Corvinus quàm sæpissimè è prælio Turcarnum superior discessit, unde, ut memoria ejus glorioso triumphantis immortalitatis curru ad immortalitatis sepulchrum duceretur, busto ejusdem hæc incidebantur verba: *Facta DEUM ostendunt, fata hominem.* Maximè præclara quidem hæc atque strenua facta sunt; verum enim verò cum Christi si compares triumpho, nihili, flocci, nauci putanda, æstimanda. De summo namque nostro Imperatore, cœlorum Domino & terrarum & inferorum triumphatore, magno illo Michaële Jesu Christo, nobis constat, eum manu non alienâ, sed suâ, suâ, inquam, trucidasse hostes. Quâ verò Corvinus? nonne auxilio militum suorum confusus, eorundem cohortes aggressus est. Quis omnium Imperatorum verè Decus Augustus Cæsar fuerit, ex eo facile animo percipi potest, quod, postquam in suam

B 3

potesta-

potestatem redegisset gentem Ægyptiorum delicatissimam,
immanem Crocodilum, aureâ catenâ alligatum, ad suam osten-
dendam majestatem, præferri sibi curaverit: cui hæc super-
scripta legebantur verba: *ante me colligavit nemo.* Nostri si ad
rationis trutinam expendimus Imperatoris potentiam, rivu-
lum cum Oceano, facem cum sole, globum cum mundi machi-
na, herbam cum arbore, formicam cum Elephanto compara-
rem. Triumphator namque noster non crocodilum aliquem
vulgarem, sed ipsum larvatum serpentem tenebrarum Satanam-
cujus omnes milites

Gorgonas & Sphyngeſ obscæno corpore reddunt

Atq; hydras, centauros ignivomasq; Chimeras

alligavit catenis, alligatum ad imum usque tartari barathrum
damnavit. Mente igitur abjectâ esse nolite; sed potius gaudio
vestros explete animos spemque bonam concipite. Quia id
non Teucer, aut Lyricæ festivitatis antesignanus & Romanorum
Pindarus, Horatius hoc jubet, sed ipse Heros, Triumphatorq;
noster Christus, ipse, inquam, quo

— nil majus generatur unquam

Nec viget quicquam simile aut secundum

suo mellitissimo nos alloquitur alloquio, dicens:

Nil desperandum Christo Duce & auspice Christo.

Non jam timendus nobis est omnium incendiorem fax Dæmon,
qui profligatus, non Satanæ satelles, Mundus qui superatus:
non Satanæ semen quod fugatum. Occinamus ipsis terrificum
illud Symbolum: Christi sumus milites, cujus victoria est no-
stra victoria. Ecce talaria induunt hostes omnes ad solius Chri-
sti nomen. Nihil itaque reliquum est, quam ut celebremus
Ἡμῶν dicentes: *Dextera tua; Domine, magnificata est in for-*
titudine, dextera tua, Domine, percussit inimicum: & in multi-
tudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios meos, misisti iram
tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam. Et cum Hieropsalte
Davide: exsultate Deo adjutori nostro: jubilate Deo Jacob;
sumite Psalmum & date tympanum: psalterium jucundum cum
cithara.

cithara. Buccinate in Neomenia tuba in insigni die solemnita-
tis nostræ. Tibi verò ô Deus

*Qui regis Imperio superos & Numine terras
Cujus & ad nutum squalida paret humus*

Tibi ô sancte sanctorum Jesu, qui

*Virus vicisti sevi mortale Draconis,
Et quicquid mortis nos facit esse reos:*

Tibi, divini fomes amoris, Spiritus S. pro tantis beneficiis sit
laus, sit gloria; sint gratiæ tot

*— — quot in horto fertilis arvi,
Punica sub lento cortice grana rubent:
Africa quot segetes, quot Imolia terra racemos,
Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla favos.*

D I X I.

EN! redit è tumulo Christus redivivus in auras,
Jamque quòd immensus gaudeat orbis habet.

Nam bona cum Domino redierunt omnia, parta est
Terrigenis iterum gratia, vita, salus.

Hæc Tu proponis spectanda, suavis Amice,

In cœpto perpes perge labore sacro.

Ita gratulabundus fovebat

GEORGIUS Schuster / Sempronienſis
Hungarus.

Exerces Svadam dum sistis, Amice, triumphum
Christi, commendas sic quoque Te Patriæ.

In candidi affectus tesseram Amico suo
integerrimo scribeb.

TOBIAS Lincke / Wolaviens.
Sil.



Umg. VI-61

ULB Halle

3


004 113 25X



IA 70L

Umg. VI 61





13

I. N. 3.

TRIUMPHUS

CHRISTI & Christianorum

PASCHALIS

Oratione Brevis

Anno 1673. Mense Aprili
delineatus

à
JOHANNE Hackstoc / Rustens. Hung.
Phil. & SS. Theol. Cultore.

W^RATISLAVIÆ,
In Hæredum BAUMANNIANORUM Typographia
exprimebat JOH. CHRISTOPH. JACOBI.

h. III. 2618

J. H. R. N.

